



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio XX. De donis Spiritus Sancti animæ Christi collatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

3. Præterea, Prima Ioan. 4. dicitur, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Sed in Christo fuit perfectissima charitas, secundum illud Ephes. 3. Supereminens scientia charitatem Christi. Ergo in Christo non fuit donum timoris. Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. Replebit eum Spiritus timoris Domini.

Respondendo dicendum, quod sicut in secunda parte dictum est, timor respicit duo obiecta, quorum unum est malum terribile, aliud est illud cuius potestate malum potest inferri: sicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi potestatem. Non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quandam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit: ea enim, que in promptu habemus repellere, non timeamus. Et sic patet, quod aliquis non timeretur, nisi propter suam eminentiam. Sic igitur dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei: non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiam: prout scilicet anima Christi quodam affectu reuerentia mouebatur in Deum, à Spiritu sancto acta. Vnde Heb. 7. dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hunc enim affectum reuerentia ad Deum, Christus secundum quod homo, præ ceteris habuit pleniorum. Et ideo et attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus virtutum, & donorum proprie, & per se respiciunt bonum: malum autem ex consequenti. Pertinet enim ad rationem virtutis, ut opus bonum reddat, ut in 2. Eth. dicitur. Et ideo de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet diuini, cuius potestate ali-quod malum infligi potest: Sed spes: secundum quod virtus est, respicit non solum autorem boni: sed etiam ipsum bonum, in quantum est non habitum. Et ideo Christo, qui iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus spes, sed donum timoris.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de timore, secundum quod respicit obiectum, quod est malum.

Ad tertium dicendum, quod perfecta charitas foras mittit timorem seruilem, qui respicit principaliter penam: Sic autem timor non fuit in Christo.

Hic articulus etiam in disputatione sequenti explicabitur.

DISPUTATIO XX.

In duas sectiones distributa.

De donis Spiritus sancti, anima Christi collatis.

Dona Spiritus sancti generali ratione dici possunt omnia bona gratia gratum facientis, quomodo virtutes infuse sunt dona Spiritus sancti, specialiter tamen ac propria significatione sic appellantur quidam habitus, quibus homo bene disponitur, ut sit facile mobilis ad operandum ex peculiari motione Spiritus sancti. De quibus, an distinguantur à virtutibus, necne, res est controuersa inter Theologos, & sub opinione existens, nos vero supponimus cum D. Thom. esse distincta, & hoc sensu de illis disputamus. Ex his vero donis (quæ se prem ab Isa. numerantur, cap. 11.) quatuor ad intellectum pertinent, scilicet intellectus, sapientia, scientia, & consilium: tres & voluntatem, timor, pietas & fortitudo. De quibus in 1.2. ex professo disputatur, hic solum attingemus breuiter, quæ ad Christum pertinent.

Fr. Suarez, Tom. 1.

Virum dona Spiritus sancti, intellectum perfectientia fuerint in Christo.

Durand. in 3. dist. 34. q. 3. negat donum consilij manere in beatis quantum ad actum; unde consequens esse videtur, ut etiam in Christo negare illud debeat. Ratio eius est, quia in beatis non reperitur obiectum huius doni, neque erit dubitatio de aliquo agendo, ergo. De alijs vero tribus donis magis videtur posse dubitari, quia illa dona, prout dantur hominibus viatoribus, dantur ad iuuandam, vel fuleandam fidem: unde non obscuritatem aliquam includunt, vel certe imperfectionem, quæ fidem supponat, ergo cum Christus non habuerit fidem, non videtur his donis indiguisse. Et confirmo, nam per scientiam beatam & infusam perfectissime omnia nouit, ad quid ergo indiguit alijs donis intellectus, sapientia & scientia?

Breuiter tamen dicendum est, simpliciter, & absolute hæc dona fuisse in Christo: quod sub his nominibus sapientia, scientia, &c. de fide certum est: ex illis verbis Isa. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus, &c. quem locum de Christo interpretantur omnes Sancti. Cyrillus & Hieronymus, ibi quorum testimonia supra tractauimus, & Orig. hom. 6. in Numer. Irenæus, lib. 3. contra hæres. c. 10. Athanas. lib. de fide sua. ex quibus Patribus adiunctis alijs, Aug. 12. contra Faust. ca. 25. Basil. serm. 5. contra Eunom. c. 14. Hilar. can. 15. in Matt. & Ambr. Sermon. 5. in Psal. 118. colligitur, hæc dona ita fuisse in Christo, ut sint communia omnibus iustis. Unde sit probabile, hæc dona non solum fuisse ipsam scientiam beatam, vel infusam, propter aliquos respectus his vocibus nominatos: sed esse peculiariora dona ab his scientijs distincta, quia alias non possent hæc dona esse eiusdem rationis in Christo, & in nobis. Deinde hæc dona in alijs iustis comitantur gratiam gratum facientem, & ita distinguuntur à fide, ut amittantur amissa gratia, & manente fide, & manent in patria fide sublata, ut Theologi communiter docent, ergo.

Præterea de dono consilij nulla maior ratio dubitandi est, quod fuerit in Christo, quam de prudentia infusa, vel adquisita, vel quam de alijs virtutibus moralibus. Ratio enim Durandi, si quid valeret, æque in omnibus procederet, quia hæc omnia versantur aliquo modo in actione, & quodammodo circa eandem materiam, diuerso modo: si ergo in Christo fuit materia prudentie, & aliarum virtutum moralium, fuit etiam obiectum, seu materia consilij. Modus autem iudicandi per modum doni consilij, non potuit illi repugnare, quia non requirit dubitationem, sed absolutum iudicium de agendis, ex speciali instinctu Spiritus sancti: hic autem modus, cum perfectissimus sit, multo magis in Christum conuenit, quam in alios. Unde Durandus ipse supra dicta quæst. in solut. ad 1. concedit Christum in via habuisse actus huius doni, quia aliquo modo exercuit vitam actiuam; sed in patria negat, non habitum, sed actum, quia ibi cessat exercitium vitæ actiue. Sed tamen, quamuis cesser exterior usus huius vitæ, tamen non omnino cessant, vel exerceri ibi non possunt interiores actus circa materiam, vel honestatem virtutum moralium; unde neque omnino cessant actus prudentie, vel consilij. Vltimò de alijs tribus donis ita explicari breuiter potest, non includere imperfectionem Christo aut beatitudini repugnantem: quia in primis hæc dona nullam includunt obscuritatem, sed eo modo, quo sapientia, & scientia iudicant de diuinis mysterijs, quod sint creditu digna, vel Deo consentanea, vel aliquid huiusmodi certo & euidenter iudicant. Intellectus vero, si est ad iudicandum, aliquem modum claritatis,

Durand.

Isai. 11.
Cyril.
Hieron.
Orig.
Irenæus.
Ath. n.
Aug. 12.
Basil.
Hilar.
Ambros.

Quo modo
in Christo
fuerint do-
na Spiritus
sancti in-
tellectus ac
scientia, &
actus eorū.

li 3 & cui-

& euidentiæ habet: vel si tantum est ad perfectè concipiendum, seu apprehendendum supernaturalia mysteria, propriè nec claritatem, nec obscuritatem habet, sed perfectionem quandam, quæ has conditiones non requirit. Actus verò istorum donorum, quamvis fidelibus iustis conferantur in adiumentum fidei, non tamen propter hunc solum finem utiles sunt, sed per se etiam perfectionem afferunt propter se appetibilem, & ad quæcumq; abstractionem cognitionem, quæ de Deo habeatur, iuvare etiam possunt: in Christo autem non solum fuit cognitio intuitiva supernaturalium mysteriorum fidei, sed etiam abstractiva.

SECTIO II.

Verum in Christo fuerint dona Spiritus sancti, pertinentia ad voluntatem, præsertim donum timoris.

DE his donis dubitari potest, vel propter rationem aliquam omnibus illis communem, vel de aliquo in particulari, propter propriam aliquam difficultatem, ex speciali eius ratione, seu conditione ortam. Priori modo ratio dubitandi esse potest, vel quia modus operandi horum donorum videtur repugnare perfectioni Christi: quando enim homo operatur actus horum donorum, ab alio potius, scilicet ab Spiritu sancto, movetur, quam à se, ita ut ipse non satis capiat, quomodo, aut qua ratione moveatur: hic autem modus, licet ex parte mouentis, scilicet Spiritus sancti, sit perfectus: tamen ex parte moti valde imperfectus videtur, & Christo repugnans, qui in omnibus suis actibus se perfectè movebat, perspicendo, qua ratione & propter quid moveatur. Vel secundo potest in hoc dubitari, quia materiz, circa quas versari solent actus horum donorum non habent locum in beatitudine. Propter quam rationem Durandus in 3. distinct. 34. q. 3. & 6. quamvis non negat actus horum donorum fuisse in Christo viatore, negat tamen esse in Christo iam ex omni parte beato. Posteriori modo seu in speciali tractari hic solet difficultas de dono timoris, cuius actus ex peculiari sua ratione maximè videtur repugnare Christo, timor enim est fuga mali imminentis, qui propterea solet esse cum animi tristitia, & anxietate, teste Arist. 2. Rhet. c. 5. & D. Thom. 2. 2. q. 19. artic. 11. sed Christus nullum malum perticens ad donum timoris, potuit hoc modo timere, quia tale malum solum est aut culpa, aut propter culpam propriam, hoc autem malum in Christo esse non potuit. Propter quam difficultatem Abailardus hæreticus negavit in Christo, & beatis hoc donum timoris esse: à qua sententia non multum discrepat Durandus, qui licet non neget habitum, negat tamen omnes eius actus in beatis reperiri, cum tamen, si quæ sunt testimonia Scripturæ, quæ de hoc timore beatorum loquantur, potius de actu, quam de habitu intelligentia videantur.

Dico primo, fuisse in Christo Domino tria Spiritus sancti dona ad voluntatem spectantia, scilicet, fortitudinem, pietatem, timorem. Hæc conclusio sub his verbis censetur de fide certa, propter testimonium Isaie supra citatum: Sed sciendum est nonnullos Hebræos & alios, qui eos sequuntur, omittere donum pietatis, & loco illius ponere donum timoris, & loco illorum verborum, Et replebit eum Spiritus timoris Domini, sic legere. Operari faciet eum omnes in timore Domini, id est, Spiritus sanctus faciet, ut Christus facile cognoscat, & diiudicet, qui sunt timentes Dominum. Ita fere Pagninus, Vatablus, & alij. Veruntamen nulla ratione nobis recedendū est à vulgata latina editione, nam & Septuaginta interpretes ita verterunt, & vulgata latina editio nobis omnino retinenda est præsertim in re tam gravi, & ad mysteria fidei pertinate, & in Hebræo eodem modo ha-

Aberi credimus, nam D. Hieron. qui veritatem Hebraicæ secutus est, ita vertit, & expressè colligit dona Spiritus sancti in septenario numero fuisse super virginem & florem, qui de stirpe David surrexit, & situs loci 7. significari ait per septem oculos, Apocal. 5. quos esse & Zachar. super lapidem, id est, Christum, dixit Deus per Zach. 3. quamquam illius loci literalis sensus alius fortasse sit, ut ibi erudite tractat Franc. Ribera. De loco vero Isaie certa res est, & constans traditio Patrum, * § Est ergo certa assertio sub prædictis nominibus, fortitudinis, pietatis, timoris. Et licet à prædictis Patribus fere semper operationes appellentur, sunt tamen operationes supernaturales, quæ habitus proprios requirunt, ut connaturali modo fiant, & ideo in Psal. 18. hæc dona etiam per habitus infunduntur, Quod de Christo significatur in illo verbo Isaie, requiescit, ut etiam in superioribus dictum est. Et eadem vim habet illud Ioan. 3. Super quem videri Spiritum descendentem & manentem. Nam in quo manet divinus Spiritus, manent eius dona quibus habilis semper est, & proximè dispositus, ut à Spiritu sancto moveatur.

Quod vero hæc dona sint distincta à virtutibus, & quod in Christo fuerint eiusdem rationis cum similibus donis, viatoribus iustis infusus, est solū probabilis, propter rationem fere supra tractatam. Quæ ita explicatur, nam hæc dona sunt perfectiones simplices, & non includunt imperfectionem repugnantem unioni, aut beatitudini, ergo. Probatur minor, quia in primis modus operandi horum donorum, quamvis essentialiter consistat in hoc, quod sit ex peculiari motione & instinctu Spiritus sancti, non tamen ita requirit, ut is, qui movetur, non intelligat, & percipiat distinctè, & clarè, à quo, & ad quid, & propter quid moveatur: quamquam enim hæc imperfectio in nobis reperitur, qui per fidem ambulamus, & non satis possumus capere omnes interiores motiones Spiritus sancti: non est tamen hæc imperfectio de essentia horum donorum, potuerit ergo esse in Christo, quidquid est perfectionis in modo operandi talium donorum, sine dicta imperfectio. Quod ita confirmatur, & declaratur, nam per actum doni movetur homo ab Spiritu sancto, interdum ad operandum præter ordinarias regulas rationis tam naturales, quam supernaturales, per quas prudentia adquisita, vel infusa regi solet: Christus autem poterat moveri ad operandum hoc modo, hoc ergo satis erat, ut operatio eius pertineret ad donum, quamvis per scientiam beatam, vel infusam clarè perciperet illam motionem, & principium actionis terminum eius. Neq; verò repugnabat anime Christi sic moveri à supremo principio, scilicet Spiritu sancto, quia, cum sit creatura illi subiecta, potius hac motionem valde perficitur: & non excluditur cooperatio eius, quia per hanc motionem Spiritus sancti, ita movetur voluntas, ut tamen ipsa consentiat, & libere operetur.

Deinde neq; ex defectu materiz caruit Christus actibus horum donorum. Et primo, de dono pietatis nulla videtur esse posse dubitandi ratio (quod miror Durandum non advertisse) quia hoc donum potissimum versatur circa materiam religionis, & cultus divini, qui perfectissimus manet in beatis. Secundo de dono fortitudinis est quidem hoc ad intelligendum difficilius, sed non habet maiorem difficultatem, quam sit in virtute adquisita, vel infusa fortitudinis: quia, ut supra dicebam de dono consilij, hæc dona, & virtutes: quibus respondent, in eadem materia versantur, quod ergo in via exercere potuerit Christus actus huius doni, facillimum est, sicut potuit exercere actum virtutis fortitudinis: in patria verò solum intelligi potest actus per modum simplicis affectus, vel gaudij circa honestatem fortitudinis, seu de honeste factis fortiter ex instinctu Spiritus sancti, & ita quoad hæc dona satisfactum est primæ dubitationi propositæ.

Vlti-

Durand.

Arist.
D. Tho.

Abailard.

De demoni-
 nis. Vltimo de timore maior est difficultas Sed tim-
 pliciter tanquam in re de hinc certa fatendum est
 morem Dei esse in Christo, & in beatis, iuxta illud,
 Ephelebit cum spiritus timor Domini, Haic n. illud
 Psal. 8. Timor Domini: sauctus permanet in seculum seculi,
 vnde Bernard. epist. 190. contrarium numerat inter
 errores Abailardi, quos generatim damnat Innoc.
 III in epist. quae est 194. inter epistolas Bernardi, &

D. Thom. Primus modus est D. Thom. hic dicentis hunc timorem consistere in quodam affectu reuerentiz ad Deū, propter eminentiam eius, quem aff-ctum pertinere ad timorem in D. Tho. explicat: nam timor respicit malum, quod ab alio infligi potest, necesse est autem eum, qui potest infligere malum, habere quandam eminentem potestatem super aliū, à quo timetur, & ideo, quamuis interdum nullum timeatur malum ab eo, qui eminet potestate, tamen affectus reuerentiz ad aliquem propter eminentiā eius, timor appellatur. Hanc sententiam docuit idem D.

Alen. Tho. 2. 2. q. 10. art. 11. & q. 81. art. 2. ad 1. & Alen. 2. p. q. 118. memb. 3. art. 6. & q. 175. memb. 1. Bonauent. 3. distinct. 34 art. 2. q. 3. Gabr. quæst. vnica. art. 3. dub. 2. & Altiſiodoren. lib. 3. Sum. tract. 8. c. de timore fidal. quæst. 3. & Ianſenius super cap. 1. Prouer. & videtur hæc expositio consentanea modo loquendi Scripturæ. Luc. 7. *Accepti autem omnes timor, & magnificabant Deum, vbi timor non videtur significare fugam alicuius mali: sed reuerentiam conceptā ad Christum, quoniam videbant eum mira faciem:* vnde cap. 5. dicitur, *Repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie;* & eodem sensu dicitur ad Rom. 13. *Reddere omnibus debita, cui timorem.* &c. vbi Chrysost. & Theophyl. intelligunt. Quod si obijcias, quia de ratione timoris est vtrū fuga mali, & causa

semper manet difficile, quia iuxta illam solam defenditur esse in Christo habitum doni timoris & aliquid actum eius, qui non est verus timor, quod facillimum est, nam etiam gaudere, quod quis à Deo separari non potest per peccatum, est actus ab eodem habitu elicitedus, à quo timor filialis, vt bene Ricard. in 3. dist. 34. artic. 2. quaest. 4. imò & bonus affectus ad honestatem, qui est in diuino timore potest dici actus illius habitus qui est donum timoris; hæc autem omnia non satis esse videtur, vt dicatur timor esse in Christo, vt à simili sumi potest ex ijs: quæ supra de poenitentia & de sepe dicebamus.

Quocirca, vt hæc sententia melius intelligatur, oportet explicare quis sit hic actus reuerentiz ad Deum propter eminentiam eius. Et primum constat non esse actum solius intellectus, supponit quidem cognitionem seu iudicium de diuina omnipotentia & maiestate, ille autem non est reuerentiz actus, sed aliquis motus resultans in voluntate. Dein de in voluntate ipsa possumus intelligere per modum reuerentiz ad Deum voluntatem parendi illi vt supremo Domino, vel colendi illum vt supremum principium, qui actus proprie pertinent ad religionem, vel obedientiam, & sistant per modum doni pertinent ad donum pietatis. Possumus præterea intelligere voluntatem quandam subdendi se Deo, præferendo in omnibus honorem diuinum proprio, qui actus videtur proprie ad humilitatem pertinere, atq; adeo ad donum timoris, si hæc ex speciali intuitu Spiritus sancti, nam hoc donum humilitatis respondet, vt Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte: qui etiam serm. i. de annuntiatione timore superbiæ opponit, & ideo Gregor. 2. Moral. cap. 16. alias 28. dicit donum timoris dari contra superbiam. Ex hoc verò affectu intelligi potest sequi in voluntate quidam affectus, qui sit per modum fugæ, quo creatura in aspectu diuinæ eminentiæ ita se habeat, vt veluti non audeat ad illam accedere, & omnino caueat vsurpare in aliquo excellenciam eius, seu quo formidat, & fugit inuicigare, vel comprehendere mirabilia eius, & hic actus videtur vocari à Patribus timor reuerentiz, seu admirationis, vt videre est in Greg. 17. lib. Moral. cap. 15. alias 17. & Dionys. cap. 13. de celest. Hierar. vbi exponens visionem Isai. cap. 6. vbi Seraphim velabant pedes & terga, inquit significari, Sacram illam ac plenam horrore venerationem, qui sancti celsorem mysterium in agnoscere perhorrescunt, quod fere eodem modo habet Chrysostomus. enarrat. 6. in cap. 5. Isai. quomodo Apoc. 16. dicitur beatos cantare, Magna & mirabilia sunt opera tua Domine, & statim subdit. Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum? Et hoc modo explicato hoc actus reuerentiz includit, non tantum voluntatem alicuius boni, sed etiam fugam alicuius mali, non quidem imminentis, seu quod formidetur futurum, sed quod secundum se malum est, & repugnans diuinæ excellentiæ, & hoc satis est ad rationem & denominationem timoris perfecti, vt iam amplius dicam.

Secunda ergo explicatio huius timoris sumitur ex Aug. 14. de ciuit. c. 6. dicentis, Timor casti nominis est voluntas significare a se, quod non necesse est nolle peccare, non solum inudine necessitatis, sed et tranquillitate charitatis. Itaque fuga, quam beatus habet, omnis peccati, quatenus à Deo separatur, timor castus dici potest, et hunc etiam potuit habere Christus, cum, quia licet ipse peccare non potuerit, tamen natura eius secundum se capax erroris peccati, et ita potuit voluntate sua fugere hoc malum, tanquam possibile simpliciter suæ naturæ: hic verò actus proprie ad charitatem pertinet.

hunc timorem esse de malo, quod Deus de absoluta potentia sua potest inferre creature suae, quia licet anima Christi, & cuiuscunque beati considerando Dei omnipotentiam, ut coniunctam voluntati & promissioni eius, securissima sit, nec timere possit aliquod malum.

Responſio.

A^{ctus} don
timoris in
Christo, &
beatis, est
a^{ctus} hum
liandi se
coram De
Augst.
G^{og}.

Greg.
Dionys.
Chrys.

Augiaß.

of Case 2.

D. Thom.

Timor ma-

i. quod

Deus potest

inferre cre-

atura suæ

ad spem

pertinet.

Cnfr.

Fuga mali

proprij ab

solute possi-

bilis actus

vers timo-

ris est.

malum: tamen præcise considerando diuinam potentiam secundum se, potest voluntas refugere malum illud, quod ab ea provenire posset: iuxta hunc modum explicat D. Tho. dicens, Deum esse obiectum huius timoris, ut potentem infligere malum, tamen quia non respicit illud malum ut futurum, sed tantum ut possibile, nec diuinam potentiam, ut effectum aliquod malum, sed tantum ut potentem secundum se, ideo dicitur habere pro obiecto diuinam eminentiam. Quæ explicatio probabilis est, & non dubito, quin ille actus sit possibilis, existimo tamen, illam non pertinere ad donum timoris, sed potius ad habitum illum, quo beatus amat Deum & propriam beatitudinem amore concupiscentiæ: nam ex hoc amore nascitur hic timor, sicut ex amore Dei nascitur timor vel fuga mali culpæ quatenus à Deo separatur. Unde nec D. Thom. nec Scripturæ, quæ loquuntur de timore sancto & perfectissimo, qui in beatis manet, de hoc timore loquuntur, qui omnium imperfectissimus est inter eos, qui in beatis esse possunt, imo quibusdam videtur, hunc actum non habere locum in beatis, quia videtur esse quidam timor servilis. Quod bene probatur non ita esse beatis, ut propter huiusmodi timorem fugiant culpam, aut honeste operentur, hoc enim aliquo modo servile esset, tamen, simpliciter habere illum affectum consentaneum proprio amori ordinato & supernaturali, non repugnat beato, & consequenter nec Christo, qui potest totum illud obiectum considerare in ordine ad suam naturam secundum se sumptam.

Ad difficultatem ergo in principio positam, quæ contra omnes hos modos æque procedit, & in hoc consistit, quod hæc fuga magis videtur ad simplex quoddam odium, quam ad proprium timorem pertinere, quia magis respicit malum secundum se, quam malum futurum vel imminens, Castro supra, nescio quam differentiam invenit in Christo viatore vel omnino iam beato: quasi in via potuerit magis proprie esse de pax huius timoris. Sed hic non agimus de timore naturali moris, de quo infra dicitur, sed de dono timoris Dei, & in hoc multa est differentia, quia tam securus & alienus erat ab omni malo vel culpæ, vel poenæ, aut alterius mali possibilis nunquam futurum in via, sicut in patria. Dico ergo illum actum non esse omnino idem cum odio, aliter enim Deus ipse odio habet peccatum, & aliter beatus, quia Deus tantum considerat peccatum, ut secundum se malum, & simplici odio illud auersatur, beatus autem considerat illud ut malum sibi seu naturæ suæ secundum se simpliciter possibile (& idem est de quolibet alio modo) & fugit illud per actum quandam respicientem executionem possibilem, & hic talis actus quoad substantiam suam eiusdem rationis est cum timore, qui est de malo futuro, vel imminente, quamvis non habeat omnem modum eius, & consequenter neque effectus, qui imperfectionem supponunt. Et ideo interdum dicere solent Patres, timorem mali etiam filialem, non manere in beatis, ut legitur nomine Hieronymi in id Prover. 1. Timor Domini principium sapientiæ: intelligitur enim de timore imperfecto & quasi incerto, qui poenam ingerat, ut Gregorius & Augustinus citatis locis satis declararunt. Sed de variis modis timoris dicemus plura infra q. 15. & 18.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

49.

8 col. 344.

fin. & vtri.

q. 17. ar. 1.

85 cor.

Eth. 6. 16. 3.

ca. 221 &

Rom. 1. 1. b.

3 col. 2 &

Eph. 1. 4. 2.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint gratiæ gratis datæ. Et enim, qui habet aliquid secundum plenitudinem, non competit illud habere secundum participationem. Sed Christus habuit gratiam secundum plenitudinem secundum illud Ioan.

1. Plenum gratiæ & veritatis. Gratiæ autem gratis datæ videtur esse quædam participatio diuinæ diuinitatis, & particulariter diuersis attributis secundum illud 1. ad Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt. Ergo videtur, quod in Christo non fuerint gratiæ gratis datæ.

2. Præterea, Quod debetur alicui, non videtur esse gratis datum: Sed debuit erari homini Christo, quod sermo sapientiæ & scientiæ abundaret, & potens esset in virtutibus faciendis, & in aliis huiusmodi, quæ pertinent ad gratias gratis datas: cum ipse sit Dei virtus & Dei sapientiæ, ut dicitur 1. ad Corinth. 1. Ergo Christo non fuit conueniens habere gratias gratis datas.

3. Præterea, Gratiæ gratis datæ ordinantur ad utilitatem fidelium: secundum illud 1. ad Corinth. 12. Vni, utique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Non autem videtur ad utilitatem aliorum pertinere habitus aut quacunque dispositio, si homo non vultur: secundum illud E. clis. 20. Sapientia abscondita & thesauri inuisi, quæ utilitas in vniuersis: Christus autem non habuit vltus omnibus gratias gratis datas, præsertim quantum a generibus linguarum. Non ergo in Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in epistola ad Dardanum, * quod sicut in corpore sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiæ.

Respondetur ad primum, quod sicut in secunda parte habitum est, * gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei, & spiritualis doctrinæ manifestationem: oportet enim eum, qui docet, habere ea, per quæ sua doctrina manifestetur: alia sua doctrina esset inuisa. Spiritualis autem doctrina & fidei primus, & principalis Doctor est Christus, secundum illud He. 1. 2. Cum initium accepisset enarrare per Dominum, ab eis qui audiunt, in nos confirmata est, contrafanti Deo signis, & portentis, & c. Unde manifestum est, quod in Christo excellenter fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo & principalis fidei Doctore.

Ad primum ergo dicendum, quod si ne gratiarum faciens, ordinatur ad actus meritorios tam interiores quam exteriores, ita gratiæ gratis datæ ordinantur ad quosdam actus exteriores fidei: manifestatos si ut est operatio miraculorum & alia huiusmodi. In utraque autem gratia Christus plenitudinem habuit: in quantum enim diuinitati unita erat eius anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos: Sed alij Sancti, qui mouentur à Deo sicut instrumenta non vniuersa, sed separata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos vel ad illos actus perficiendos. Et ideo in aliis Sanctis huiusmodi gratiæ diuiduntur, non autem in Christo.

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur Dei virtus & Dei sapientiæ, in quantum est æternus Dei filius: Sic autem non competit habere gratiam, sed esse prius datorem gratiæ. Competit autem sibi habere gratiam secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod donum linguarum datum est Apostolo, qui mittebatur ad docendas omnes gentes. Christus autem in vna sola gente Iudeorum voluit personam aliter predicare, secundum quod ipse dicit Matth. 18. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Et Apostolus dicit Rom. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis. Et ideo non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis: Nec tamen a fuit ei omnium linguarum notitia: cum etiam occulta cordium ei non essent abscondita (ut infra dicitur *) quorum voces quæcunque, sunt signa: Nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit: sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non vultur quando non est opportunum.

HUNC articulum exponemus disputatione sequenti.

ARTI.